

**LOGICAЕ
PROPOSITIONES,
QUAS IN REG. ARCHIGYMN. MATRIT.**

publico examini offert

JOACHIMUS FLORES.

PATRONO

IOS. IVÁÑEZ FALOMIR,
Log. reg. prof.

MATRITI DIE XXI. SEPTEMB. AN.M.DCC.LXXIV.

Hora X.



Superiorum permissu.

Typ. Antonii de Sancha.

ЕАДОГ
СВОИСТОЯЩАЯ
ГУСИНЕС МАТРИЦА

бакинско-екатеринбургский
издательский дом
ГУСИНЕС МАТРИЦА
ПАНОРАМА
ЛУМОЛАДЫШИНА
ЛОГ. А. Г. ПОЛЕ
МАТРИЦА ДЕКУЛ СЕПТЯМ. А. Н. М. Д. С. К. К. К. К.
Х. Б. Б.



Знаменитое издание

Тип. Академии де Гюйен

PRAEFATIO.

EN iterum publico examini subiiciuntur logicae propositiones , non illae quidem Scholasticorum sputatilicis quaestiunculis refertae, quae tantum absunt, ut mentem nostram exacuant ad verum consequendum in omni loco & tempore, quod munus est Logicae; quin potius illam a veritatis tramite deflectere faciunt, adeoque hebetant, ut si plerorumque scripta, eorum quoque, qui Philosophi nomen ambitiose expetunt, ad germanae Logicae regulas expendamus, non omnibus numeris absoluta, ut vulgo creditur, sed vix, aut ne vix quidem tolerabilia mirabundi reperiemus. Flocci igitur facimus blateronum effutias, qui recentiorum disciplinas exsibillant , praeclaraque inventa, quasi me-

4

rae nugae essent, aversantur, & solo
audito recentiorum systematum no-
mine, exhorrescunt: eademque via,
quam semel arripimus, insistimus, lo-
gicis nimirum praceptionibus ope-
ram navantes, recentiorum *Philoso-*
phorum inventis accommodatis, & a
quaestiunculis scholasticis purgatis, tum
quia regio decreto de hoc archi-
gymnasio instaurando ita sancitum
est: cum quia in hac litterarum luce, in
qua Europa cuncta versatur, nemo
est qui non videat, scholasticorum
praeiudicia non ex alia caussa profi-
cisci, nisi quia homines illi docendo
assuefacti, dolent, iuniores eos doctrina
superare, & omnibus nervis curant,
ne gloriam illam, quam ipsi tot labori-
bus sunt consequuti, nova ista doctrina,
& docendi via labefactet.

-idex*o* *scilicet* *disciplinae* *rec-*
-*m* *is* *sup*, *in* *acutis* *disci-*
plicis

*DE NATURA ET NECESSITATE
Logicae.*

I **L**ogica est *facultas*, quae mentem perpolit, *ut in omni loco, & tempore verum consequatur*. Menti autem, seu *spiritus*, & *corporis*, ut & horum *complexionis*, si mentiri nolumus, nihil praeter auditum habemus. Merito igitur in praesentia eas tantum notiones amplectimur, quae clariores sunt. Vocamus itaque corpus quidquid tres habet dimensiones, & alterius corporis penetratio repugnat: spiritum vero, quod in homine est, & a nullo videtur, quodque cognoscit, & vult. Haec duae partes alternis se habent: nam & corpus menti obtemperat: animusque quidquid sensuum ope percipitur, sentiendo intelligit. Iam ab antiquo tempore disputatum est, quanam in parte humani corporis positum illud sit, quem animum nominamus. Nos vero, missis magni nominis opinionibus, quas rogati, & explicabimus, & confutabimus, scholasticorum tantum sententiam in medium adducimus. Ita itaque ab XIII. Christiani nominis saeculo animum in toto corpore posuerunt: cum quia formas *substantiales* non bene definiebant, tum

quia Conc. Vienen. & Lateran. V. decretum circa animi humani naturam ad sua sensa prave detorquebant. Verisimilius itaque existimamus, animum in cerebri *parte callosa* sedem suam habere.

II Si cognitionum naturam accurate expendimus, profecto animum nostrum duas tantum operationes elicere *perceptionem* scilicet, & *iudicium*, inveniemus. Vel enim res nude contemplatur, quin eas invicem referat; vel inter se comparat. Primo modo *ideam* efficit, seu *imaginem obiecti*, quae menti *praesens est*, cum aliquid percipimus. Secundo modo, idearum *inclusionem* affirmat, aut negat. Si vero harum cognitionum varium usum investigamus, alias, & alias mentis operationes reperiemus, cuiusmodi sunt rerum longe dissimilium *coniunctio*, inseparabilium *praecessio*, *discursus*, *methodus*, *dubitatio*, *reflexio*, seu *conscientia*, & *reminiscentia*, quas lubens explicabo. De idearum origine celebris inter Philosophos est controversia; nos autem eam amplectimur sententiam, quae ideas omnes innatas de medio tollit, contendens ab hoc dupliciti fonte, sensibus, & meditatione omnes proficiuntur.

III Hinc falso affirmant auctor *artis cogitationis*,

di, & Wolfius, mentem creare suas ideas. Fal-
so etiam affirmat Malebranchius, mentem nos-
tram essentialiter unitam Deo, in eo omnia vide-
re. Falso etiam ait Lucretius, e corporibus avo-
lare continenter idola, & in sensus incurrere.
Falso tandem dicunt Scholastici, ex phantasma-
te corporato fieri speciem expressam. Sensus
igitur sunt animi fenestrae, per quas ideae pri-
mo illabuntur, quam ad mentem perveniant.
Visus itaque, auditus, odoratus, gustatus, & tac-
tus impressiones corporum excipiunt, & usque
ad cerebrum transmittunt. Mens autem rerum
ideas elicet. Uniuscuiusque sensus fabricationem,
quoniamque modo impressionem excipiat, &
cerebro communicet, explicabo.

DE IDEIS.

IV Ideae multiplici modo possunt conside-
 rari. Vel eas referimus ad principium: vel ut re
 sunt consideramus: vel examinamus modum, quo
 obiecta repraesentant: vel demum obiecta, ex
 quibus ipsae nomen habent, investigamus. Pri-
 mo modo, eas dividimus in *adventitias*, & *fac-*
titias. Secundo, in *simplices*, & *compositas*. Tertio,
 in ideas *claras*, & *obscuras*: *distinctas*, & *confusas*:

*completas, & incompletas: adaequatas, & inadae-
quatas.* Quarum naturam, & discrimen ostendam. Ideae, si res a quibus nomen hauriunt, considerentur, ad tres classes tantum reducuntur, *substantiam, adiuncta, & relationes.* Idea substantiae valde obscura est, ideae adiunctorum, seu modorum clariores sunt: de ideis relatis nihil affirmari, aut negari potest, nisi quale sit fundamentum relationis, prius expendantur. Substantiae, & adiunctorum naturam, & varias species, tum relationis essentiam audies. De ideis *singularibus, particularibus, & universalibus*, hoc est, de ideis *individui, speciei, & generis*, ut de *natura universalis* de qua ad fastidium usque in scholis disputatur, verba faciam.

DE IDEARUM SIGNIS, seu vocibus.

Signum est quod praeter sui ideam exitat in animo ideam alterius rei. Dividitur in *naturale, & arbitratum.* Primum natura sua habet ut rem aliquam manifestet. Secundum ab hominum arbitrio id habet. Idem signum plures res diverso modo significare potest. Voces itaque, quarum originem, si rogatus fueris, ostendam,

dam, 1. sunt signa arbitraria rerum, ad quas significandas constitutae sunt. 2. sunt etiam signa arbitraria perceptionum quae ipsis rebus respondent. 3. Voces (idem de scriptura dicendum) sunt etiam signa aliarum rerum, quae ex more gentis, & linguae cum illis sunt coniunctae: quae plerumque sunt affectus animi. Hinc voices nihil amplius significant, nisi quod ille qui loquitur, mente concipit. Hinc eadem vox apud diversos homines non semper eamdem ideam significat. Tandem verba non ex nostris ideis interpretari debemus, sed ex eorum ideis, qui iis utuntur. Omnia vocum genera explicabo. Circa vocum usum in Philosophia praesertim, hae sunt leges. 1. Principio iis tantum verbis uti debemus, quibus adfigatur significatio certae ideae. 2. Cavere debemus, ne cogitationes nostras verbis obscuris exprimamus. 3. Uni vocabulo plures notiones numquam affixae sunt. 4. Caveto a vocabulis indeterminatis aequivocis, & translatis. Has leges, & explicabo, & exemplis illustrabo.

VI. Vocabula easdem proprietates habent ac ideae, quarum sunt signa: verba itaque, quae ideas simplices representant, clara sunt, ut & ideae; quae composita, tum obscura,

tum confusa. Tamen vocabula, quae singulares affectiones animi, & sensuum declarant, sunt obscura, saltim confusa, licet ideas simplices designent. Consimili modo se habent affectiones mentis, & voluntatis. Ideae simplices, quae *abstractae* dicuntur, ut *extensionis, existentiae, temporis*, quia clarae sunt, verbis claris significantur. In eundem censem veniunt vocabula *arithmeticā*, & *geometricā*. Ideae compositae tales sunt quales sunt simplices, ex quibus componuntur, unde & nomina sunt ut ideae. Cum substantiae tantum ideam obscuram habeamus, hinc & vox, quae illam significat, eodem vitio laborat. Exemplo sint voces *anima, Deus, angeli*. Substantiarum vero *corporearum* cum non aliam ideam habeamus, quam collectionis modorum, erit haec nobis aequa clara ac modi. Vocabula *substantiarum compositarum* sunt confusa.

VII De modis eadem est perceptio: nam vocabula sequuntur naturam modorum, quos significant. Hinc vocabula modorum *simplicium physi-
corum* v. g. *figurae, numerorum* sunt clara. Vocabula vero modorum *compositorum* sunt obscura, saltim clara, sed confusa. Etiam vocabula modorum *moralium* obscura sunt, aut confusa. *Relatio-*

nes sunt innumeræ, sicut & voces, quæ eas exprimunt. *Adiectiva* enim pleraque sunt relata. Deinde *substantiva* plurima. Tandem *adverbia* omnia, quæ modos rei significant. Cum autem de ideis relativis nihil possit affirmari, aut negari, nisi quale sit fundamentum relationis, prius expendatur, existit & illud, voces relationes significantes obscuras esse. Vocabula *abstracta* designant tantum ideas nostras abstractas, ad quas si ea referimus, sunt clariora; si ad res ipsas, obscurissima.

DE IUDICIO.

VIII *Iudicium* est perceptio *convenientiae*, aut *disconvenientiae*, quæ reperitur inter duas ideas. *Convenientia* est *inclusio unius ideæ in alia complexa*. *Disconvenientia* est *exclusio unius ideæ ab alia idea complexa*. Cum iudicium verbis exprimitur, vocatur *propositio*, quæ est *oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo*. Nulla est *propositio*, quæ non constet *subiecto, praedicato, & verbo sum* vel expressis, vel subauditis. *Quicumque asserunt, verbum sum significare identitatem, convenientiam, vel disconvenientiam, ideam obscurissimam nobis obtrudunt*. Melius

itaque dicunt, qui aiunt, verbum *sum* asserere inclusionem, aut exclusionem praedicati in subjecto. Quae longa oratione, & exemplis illistrabimus, si iussi fuerimus.

IX In omni propositione considerari possunt *materia, forma, quantitas*. Subiectum & praedicatum, quae *materia*, & *termini* nuncupantur, plurimis modis vinciri possunt, ex quibus nascuntur propositiones *necessariae, contingentes, impossibilis, absolutae, modales*: tum *simplices, & compositae*. Haec ultimae ad sex classes reducuntur nimirum *copulativas, disiunctivas, conditionales, cauasales* (ad has pertinet *reduplicativa*) *relativas, & discretivas*. Aliae sunt etiam propositiones *compositae*, quarum *compositio* non illico menti obversatur, ideoque *exponibiles* appellantur, cuiusmodi sunt *exclusiva*, (ad hanc classem reducitur *exceptiva*) *comparativa, inceptiva, desitiva, & continuativa*: quibus addi potest *incidentis*. His omnibus & uberiorem doctrinam, & exempla supponam. Affirmatio vel negatio vocatur *Logicis forma* propositionis: cuius naturam roga. *Quantitas* propositionis ex ampliori, aut strictiori subjecti significatione desumitur: ex qua oriuntur propositiones *universales, particulares, singulares, indefinitae*: tum *universales metaphysice, & moraliter*.

Oppo-

X Oppositiō propositionum iest comparatio duarum propositionum, quae idem subiectum, & praedicatum habent, mutata vel forma vel quantitate, vel utraque. Quadruplex est: contraria, subalterna, contradicens, & subcontraria. Singularum proprietates explicabo. De aequipollentia, & conversione interroga. Aliae preterea sunt propositiones, quae in indagatione verissimme adhibentur: talis est definitio, quae, si realis est, definitur, propositio explicans naturam rei distincte, complexim, & adaequate; si autem nominalis sit, hoc modo: propositio, quae explicat ideam, quam nomini subiicio, idque ex nota aliqua, quae rem semper comitatur. Utrisque leges, & exempla adhibeo. Divisio est propositio, quae resolvit totum in partes, quo facilius, quid continet, intelligatur. Leges bonae divisionis dabo. Reliqua sunt axioma, postulatum, theorema, problema, corollarium, scholium, aut notatio, & lemma. Has tandem propositiones explicabo, & exemplis illustrabo.

DE RATIOCINATIONE.

XI Ratiocinatio est comparatio duarum ideo rum inter se ex comparatione earum cum idea tertia.

Vis ratiocinationis *aientis* innititur hoc principio:
Quae conveniunt in uno tertio veluti regula, conve-
nunt inter se. Vis ratiocinationis *negantis* ex hoc
 alio principio proficiscitur: *Quae non conveniunt in*
uno tertio veluti regula, non conveniunt inter se. *Syllo-*
gismus respondet ratiocinationi mentis: adeoque
 tres habet terminos, qui respondent tribus ideis,
 & tres propositiones, quae respondent tribus
 iudiciis. Porro *praedicatum*, & *subjectum* propo-
 sitionis probandae quatuor modis comparari
 possunt cum *medio*, ex quo quatuor figurae nas-
 cuntur. Propositiones, cum esse possint uni-
 versales, particulares, aientes, negantes, LXIV.
 modis connecti possunt, ex quibus totidem di-
 fferentes syllogismi existunt. Ex iis XIX. tan-
 tum sunt legitimi, & boni; nam reliqui con-
 tra leges universales peccant. Omnium figura-
 rum, atque modorum naturam patefaciam, &
 exempla roganti dabo: tum leges generales pro
 quatuor figuris, tum particulares uniuscuiusque.

XII *Epicherema, prosyllogismus, enthymema, induc-*
tio, exemplum, sorites, & dilema ad syllogismum
 nullo negotio reducuntur. Horum naturam expli-
 cabo. Ad investigandam firmitatem ratiocina-
 tionis haec regula sufficit: *Syllogismus tribus tan-*
tum terminis constare debet: nimirum duobus ex-

tremis, quae comparare volumus inter se, & medio, cum quo recte utrumque comparamus. Regula igitur ab Auctore *artis cogitandi* tradita: *Debet praemissarum altera continere conclusionem, idque ab altera declarari, ex nostra proficiscitur.* Pro investiganda autem idea media haec lex servabitur: *In conclusione aiente idea media debet includi in subiecto, & includere praedicatum. In negante vel non includi in subiecto, vel excludere praedicatum.*

DE VERO CERTO.

XIII  Eritas alia est *methaphysica*, seu *realis*, alia *ethica*, seu *moralis*, alia tandem *logica*, de qua in praesentia disputamus: ad quam nos pervenire posse certocertius est, quidquid ineptirent Philosophi aliquot, tum veteres, tum recentiores. Gradus autem, per quos ad ipsam pervenimus, exponam. At non omne iudicium certum est verum. Tamen omnis propositio nobis *certa*, vel est certo vera, vel similis verae. Item omnis propositio nobis falsa, vel est certo falsa, vel similis falsae. Similiter eadem propositio alteri potest esse certa, alteri incerta. Hinc duplex est veritas *certa* & *probabilis*. De modo cog-

noscendi verum certum, seu de *criterio veritatis* valde dissentiebant veteres, quorum opiniones referam. Unum ergo est iudicium veri, *rei evidētia*. Haec evidentia vel est *physica*, vel *methaphysica*, vel *mathematica*, vel *moralis*, quarum naturam, quoque modo aestimandae sint, patefaciam.

XIV Obstant nonnulla, ne veritatem asse-
quamur, quae ad tres classes referuntur: *fallacie* nimirum *sensus*, *voluntatis*, & *mentis*. Has Philosophus perspectas habere debet, & decli-
nare. Quonam autem pacto a quinque sensibus
externis, & ab unoquoque eorum fallamur,
quaque industria his mederi possimus, audies.
Affectus animi, quo tectiores sunt, eo validius
hominem a veritate revocant, & ad errorem
impellunt. Praecipuus affectuum fons, ex quo
omnes diminant, est immodicus amor, quo
unusquisque se amat, quam *philautiam* nomina-
mus, quacque in senibus multo magis quam in
adolescentibus usu venit. Hanc sequuntur *zeloty-
pia*, *spes*, & *desiderium*, *ambitio*, *avaritia*, *timor*,
ira. Quonam modo mens nostra unaquaque
harum affectionum, quasi vento, circumagatur,
ne veritatem consequatur, explicabo. Qui igit
aliquo occupatus est affectu: ne iudicet; quod

si iudicet, rem iterum ad examen revocet; tum demum libere, & re accurate perpensa, pronuntiet.

XV *Mens nostra etiam caussam* habet domesticam multorum errorum, quae triplex est, ipsius mentis *tarditas*, *methodus perversa*, & *praeiudicia*. Mens nostra paucissima intelligit, & quidem obscurissime, ut plane demonstrabimus. *Methodus perversa* latissime patet, adeo ut viri quidam litterati frequentissime hunc scopulum offendant. *Praeiudicia*, seu anticipata iudicia, quae mens nostra de rebus facit, caussa sunt, cur non libere, & ex merito iudicemus. Horum incredibilis multitudo ad praeiudicium *auctoritatis* revocatur; si pauca demas, quae in adultis hominibus vel odio, vel amore nascuntur. In quot errores tres fallacie recensitae nos inducant, quotque modis hisce occurramus, sequentes canones demonstrant, quos fusius exponemus.

1. Quae vires humanae mentis excedunt, ne vestigato, operam enim perdes: quae plane intelligi nequeunt, vitato: possibles res, ne investigato. 2. Via, ac ratione studeto: clariora, & faciliora prius ediscito, ex quibus, quae consequuntur, dilucidentur. Plura simul ne adiscito; sed seorsum unumquodque, & acerrime me-

ditator : inutilia, & inania resecato, utilioribus
vacato : caveto ab studio novandi ; attamen non
serviliter , sed libere iudicato. 3. Caveto a pae-
iudicatis sententiis , quas vel usū domestico , vel
scholae , vel populi comparasti : singulas ideas,
& voces ad examen revocato : nec eis assenti-
tor, quin prius intelligas, ita se habere : disci-
plinis invita Minerva ne vacato: de aliorum op-
inionibus temere ne pronuntiato ; nec ex turbae,
sed ex optimatum sensu res existimato.

XVI Aliud est praeterea medium ad verum cer-
tum consequendum, nimirum *experientia*, quam
ita definio: *cognitio adquisita ex constanti observa-
tione eorum, quae sensibus obvia sunt.* Duplex est,
interna, & externa. Primam adipiscimur ope sen-
sus *interni, conscientiae, seu intimi* sensus. Experien-
tia *externa* versatur circa ea, quae sensus externos
movent, & afficiunt. Ut autem experientia exter-
na veritatem consequamur , noveim regulae sta-
tuuntur, quas referam, illisque explicationem, &
exempla supponam. Quoniam vero non omnia,
quae vera sunt, usu, & experientia cognosci pos-
sunt, ad ratiocinationem confugimus , ut verum
demonstremus. *Demonstratio* itaque alia est a *pri-
ori, alia a posteriori, alia directa, alia indirecta.* Qua-
rum naturam & exempla paucis dabo. Demons-
tra-

trationes duplici nomine falsae evadunt, vel quia in *materia*, vel in *forma* peccant, quod multipliciter evenit. Singulas itaque fallacias, seu paralogismos explicabo, & exemplis illustrabo. Si fallaciis itaque occurrimus, demonstrationis effectum consequemur, *scientiam* nimirum, id est, *cognitionem illam tam claram, tamque perspicuam*, ut nulla dubitandi ratio *reliqua sit*. Scientiae quasi ex altera parte respondet *fides*, quae Philosophis est, *credere rem, quae habetur ex narratione alterius*. Hinc non potest homo habere simul *scientiam*, & fidem secundum eamdem *rem*, quia haec inter se pugnant. At potest id ipsum, quod certe scitur, aliorum auctoritate confirmari.

DE VERO PROBABILI.

XVII **E**A, quae nonnihil dubitationis relinquunt, *probabiliter* tantum sunt vera, quia non omnes veritatis characteres notos habemus, nec nisi *hypotesi* fundamur. Probabilior itaque erit *propositio*, quo plures veritatis characteres comprehendat. Praeterea potest aliqua *propositio esse nobis probabiliter vera, & esse re falsa*. E contrario potest nobis esse probabiliter falsa, &

esse

esse vera reapse. Ad *probabilitatem historicam* investigandam, & pro merito aestimandam, tria examinanda sunt, *qualitas testis*, *res narrata*, & *modus narrandi*. Pio harum qualibet variae statuuntur regulae, quas in medio proferam, explicabo & exemplis illustrabo. Verum licet haec omnia rite perpensa habeamus, tamen saepissime impediunt veri consequutionem librorum *menda*, quae quatuor caussas agnoscant, *librarios*, *criticos*, *deceptores*, *vetustatem*, quas lubenter explicabo. Facili itaque negotio libros *veros*, & *germanos*, *suposititos*, *integros*, *corruptos*, *mutilatos*, & *interpolatos* dignoscemus, si decem regulas, quae a criticis emunctae naris traduntur, prae oculis habeamus, quasque, si iussus fuero, ostendam.

XVIII *Testimonium Divinum*, quamquam rem obscuram proponat, rem certam facit. Verumtamen examinandum est, an hoc testimonium sit divinum, consulendo tum ecclesiae, quae si dicit, Deum loquutum fuisse, dubium non est, quin ita se habeat, nec homini fideli ultra inquirere necesse est: tum rationi, eique in re critica valde exercitatae. Cum autem scriptoris sensum eruere cupimus, *probabilitate hermeneutica* utimur. Leges acri iudicio

sancitae , ad quas interpraetationem nostram exigere debemus , plures sunt , quas explicare sum paratus. Pro sacrorum librorum interprætatione quatuor canones sunt servandi : quos fuis explicabo. Quid sit probabilitas *moralis*, seu *præctica* , quid *politica* , quid *physica* , quid *fictio*, quid *possibilitas* , quid *præsumptio* , quid *conjectura* , quid tandem *scrupuli* , interroga.

DE INVESTIGATIONE VERO.

XIX **N**emo homo est , qui Philosophi nomen cum dignitate tueatur , nisi teneat viam, novas, & reconditas notiones investigandi. Quod ut assequamur , *meditationi* diligentius vacemus oportet. Est autem meditatio *applicatio cogitationum nostrarum ad explorandam veritatem secundum leges sapientissime constitutas* , ita ut semper notiones veras ex aliis notionibus perspicuis derivemus. Leges autem recto ordine institutae, ad quas investigationem, & meditationem nostram dirigere debemus , vocantur Philosophis *methodus*. Hæc duplex est *analitica* , & *sintetica*. Quarum leges , & exempla adducam.

XX Cum autem pauca labore nostro reperiire valeamus, & scientia nostra aliorum auctori-

tate plerumque contineatur, oportet, scripta eorum, qui singula perscrutarunt, expendamus. Libri autem omnes vel sunt *historici*, vel *dogmatici*. Pro utrisque haec regula tamquam praecipua servari debet: *ut tales notiones verbis adiungamus, quales auctor iis adiungi voluit.* Si liber est *historicus*, studiose percensendum est, an verum narret: an via, & ratione scribat: an ad finem, quem sibi proposuit, auctor mentem & propositum dirigat. Liber *dogmaticus*, sive *historice*, sive *scientifice* dogmata exponat, diligenter a nobis examinandus est, an sit perspicuus, an sit ordine conscriptus, an sit solidus, & an sit completus.

XXI *Conditores librorum variis nominibus* sunt vocandi. Alius enim dicitur *compilator*: aliis *conditor sistematis*: *plagiarius* alter: alter *sine iudicio compilator*: & tandem *epitomator*. Est praeterea alia via investigandi veritatem, nimirum *disputatio* debito modo instituta. *Disputatio* est *duorum hominum contentio*, *quorum alter sententiam suam exponit, & defendit; alter contradicentem sententiam amplectitur, & rationes adversarii vel voce, vel scripto infirmat.* Quaenam ab utroque disputante, quaenam ab opponente, quaenam a respondentे praestanda sint, breviter subiiciemus.

DE

DE EXPLICATIONE VERO.

XXII **Q**UI docet aliquam disciplinam, si cum operae praetatio auditores suos instituere cupit, primum det operam, ut illius originem, & vicissitudines dilucide, breviterque exponat: deinde sistema, quod traditurus est, praecipue explicet, dispersiat in partes, quo facilius tirones earum nexus animo complectantur. Enarrat etiam breviter, & perspicue statum controversiae, detractis inutilibus. Hinc verba accurate definiat, si vult ab aliis intelligi; nisi res sit cum his, qui eorum potestatem norunt. Ex definitionibus axiomata, ex his theorematum colligat, quae illorum ope sunt demonstranda. Omnia exemplis illustret perspicuis, & quotidianis: immo quo magis res fuerit a sensibus abstracta, exemplis magis usitatis utetur. Quae faciliora sunt, & ad reliqua percipienda sunt necessaria, prius explicari debent. Unum sistema doctrinae condere: & ex certis principiis, quae inde nascuntur, omnia explicare. Fontes, ex quibus argumenta sumi debent, secernere: ex singulis singula derivare, quo facilius auditorem cogat, ut iis assentiatur. Tandem docens

non rationum copia obruat auditorem , non oratoriae pigmentis illius aures demulceat , & deludat ; sed paucis perspicuisque argumentationibus , & eloquentia nativa hominem cogat, ut assentiatur.

XXIII Reliquum est, ut de *pedantismo* verba faciamus. *Pedanta* recentioribus idem est quod latinis erat *ineptus*. Haec ineptia iudicandi perlate patet. Nos tamen ineptias omnes litterarias ad pedantismum *rhetoricum*, & *philosophicum* revocamus. Rheticus ergo pedantismus in hoc situs est, ut quis litterarum , quae ab humanitate nomen habent , iustum praetium ignoret, nec ad quem finem ab eruditis , & sanae mentis hominibus excoluntur , animadvertat , idque vel incitiae , vel vanitate quadam & ostentatione. Licet in hoc vitium innumeris paene modis incidatur , nos tamen ad decem classes pedantas omnes rhetoricos revocamus , quas libenter ostendam. *Qui in gravioribus disciplinis nec finem, quem sibi ponunt, perpendunt, nec quibus adiumentis ad eum pervenire possint, considerant, pedantismi philosophici vitio infuscantur.* Hi quatuordecim pefantarum genera constituunt , quae lubens patefaciam.